

tando menses, quod variat, manifesto ostendit, non in mensibus sed alibi quarendam esse fontinam hanc, nempe in glandulis, in lymphâ uteri ichorecente. Optime profunt hinc succinata sive pulueris forma, cum ebore præp. lapid. cancrorum, corall. castor. siue essentia cum bezoardicis, essentia lignorum, anodyna &c. Curauius aliquando fluorem hunc solo magisterio oculorum cancrorum, cum oleo anisi, item elixir uterini aliquibus dosibus. Eodem spectat rosmarinus & similia, seri vigori restituendo debita.

LIBRI II. SECTIO II. CAPVT XIII.

Lac augentibus & minuentibus.

DE lactis prouentu augendo & minuendo dicturis opera
premium videtur quædam pauca ex physiologicis supponere, v. g. (1.) lactis yæcov prærequiri in corpore abundantiam alimenti individualis, non minus ac menses, quæ nisi adsit vel procuretur, lac produci ulterius nequit, vnde si vigiliis, mœre, inedia absunt corpus, lac suppetit minus.

(2.) Lac esse nil aliud, quam serum chylosum, seri & sanguinis alias materiam, huc, fermenti glandosi & tubulorum secretiorum beneficio, impensam alii scopo, vt alteri nempe detur, citra ipsius individuali usum proprium.

(3.) Lamas ex infinitis glandulis constare, iisque minoribus, vulgo conglomeratis dictis, & ordinarie lympham ad cor dispensare magis, ad lactis vero productionem opus esse excitatio, sive impulsu, sive fermento actuali. Est illud partim internum, naturæ motus, vt alatur fœtus iam in lucem editus, qui finis unicus est, cessante vero eodem, etiam lac cessat; & cessare debet. Hinc plura Phænomena possunt illustrari, in primis grauidas

das lac non habere, nec virgines. Deus enim & natura nil faciunt frustra; cessante ergo fine, cessat etiam id, quod eius gratia instituebatur. Decipiuntur sane medici, qui inter signa gravitatis recensent lactis presentiam, illud enim est contra experientiam quotidianam; loquuntur contra autoritatem ipsius Hippocratis, qui *L. de nat. puer. c. 20. t. ii. 12. 13.* expresse contrarium scribit: cum mouetur, ait, foetus, tunc sane lac indicationem sui matri praebet, mammæ enim attolluntur & papillæ gliscunt ac turgent, addit vero: τὸ δὲ γάλα ἡ χωρία, lac vero non prodit; innuens manifesto, non negligendas quidem mammas, sed non lac actu expectandum præsens, quod edito demum foetu, ut *c. 22. seq.* succedit, ubi: Et ubi peperit mulier, principio motus facto, intellige naturæ impulsu, quem diximus, η χωρία ποτὲ γάλα οὐ τὰς μαζές, lac in mammas ipsas procedit, si lactaverit. Notanter utrumque nominat internum & externum impulsu. Loquuntur contra rationem omnem, nullus enim ibi finis lactis, imo potius lac præsens foemina gestante foetum notat debilem & moritum, indicio quippe, naturam fine priori relicto alterum iam intendere. Vnde lac & menses sunt sororii liquores, vnicæ speciei producendæ destinati.

Est illud quoque partim externum, nempe suctus, vnde si vel foetus fuerit mortuus, vel ablactatus, vel papillæ desint, quod a variolis in foemina quadam pagana obseruauimus, lac cessat, licet aliquandiu sæpe stagnet, & ob molestiam imminuendum sit.

Quæcumque ergo i. sunt πολύχελα, illa etiam sunt πολύχαλα, seu quæ substantifice serum, sanguinem, & horum materiam primam, chylum, adaugent. Adaugta enim materia, ipsam collectionem maiorem fieri necessum est, & quod causa est causæ, per vulgatum axioma, illud etiam est causa causati. Infans sane per diem & noctem ad libram unam vel alteram deplet lac ex corpore, pro ætatis modulo. Hinc ut sine Cerere & Baccho friget Venus, ita & veneri litans lac. Pertinent ergo huc, quæcumque ad victum plenum spectant, quæque ex hoc ipso humidum oleosum seu aqueo-sulphureum superfluum principium corpori magis fœnerare norunt, alimenta boni succi, digestionis facilis, moderate calida & humida, & alimenta medicamentosa, &

vice versa, non confundenda tamen inter se; unde frustra sunt, qui vbera vaccina inter γαλακτωπις pulueres recensent, quod maxime inconueniens est.

Pertinent huc emulsiones, tanquam lac artificiale, lac vaccinum, & cum eo parata decocta, in primis florum sambuci, quod non sine causa dilaudat *Langius*. Hi enim flores non minus ac semen nigellæ, fœniculi, anisi &c. oleositate sua chylo οργασμον fœnerant maiorem, vegetatis partibus aqueis.

2. Quocunque serum oleosum reddunt fluxile, & colationi apium ab intra, sunt πολύγαλα. Fluxile ab intra & mediate reddunt blanda sudorifera; unde videmus vel ipsa natura indice latetis appulsum a partu fieri cum quadam heterogeneitate, & difficultate, ita, ut nisi accedat sudatio discussoria, & adiuuans hunc illapsum, & prohibens Λιχωρων morbosam, facillime & quasi ordinarie oriatur febris, lactaria dicta. Unde diaphoretica eo casu utramque absoluunt paginam, lac mammis, sanguini v-gorem afferunt. Fluxile ab intra reddunt id ipsum serum temperata alcalina, acorem, sulphuri oleoso contrarium, absorventia, adeoque coagulum in fieri exuentia. Pellunt quasi a centro ad circumferentiam hanc sudorifera dicta, haec vero alcalina temperata transcolant quoque, ut imperturbato ordine poris illabatur. Hinc quæ plurimo abundant acido in primis viis, lactis imminutionem experiuntur facile. Hinc diaphoretica in febribus ipsis ardentibus s̄apē præstant lac, ut, quod contra naturam fere videtur morbi, natura prouida speciei lac possideat; ad ultimum s̄apē halitum, quod maius est, infantes in ipsis illis morbis malignis, etiam morientibus matribus non euadant solum illibati, sed & optime habeant.

Faciunt huc ex simplicibus fl. sambuci herb. vincævinciæ, sem. anisi; ex animalibus, lumbrici terrestres, laudati a nonnullis, licet minus commode videantur in usu frequentari; ex mineralibus crystall. præp. & lac lunæ, de quo integrarum curiosissimam dissertationem scripsit Excell. D. Maior noster. Ex compositis species diacristalli, accessione lactis lunæ roborandæ, & rot. lac. aug. Mynsi, aliaque præcipitania naturæ amica, poros liberos reddentia.

3. Quæ-

hunc. *Quaecunque serum oleosum reddunt fluxile ab extra, sive πολύγαλα. Inuenias puerperas, quæ nullo modo lac augendo foetui obtinent, vel saltim alterutra mamma id solum possident, in altera v. g. ob prævium abscessum poris glandosis callecedo subsidentibus. Quibus igitur hæc difficultas fuerit velut nativa, ibi frustra lac citaueris, renitente quippe natura. Vt vero suuctio impellens est extrinsecum immediatum, & instar antilæ ex fonte hoc hauriens; ita eundem quoque appulsum citant topica. Frictiones blande instituendæ, quæ allicit, non dissipent. Fomenta paulo rariora, quorsum pertinet angelica sylv. erraticæ, herba Gerhardi dicta, quæ externe cum lacte cocta adhibita lac certo experimento augere dicitur. Emplastra rarissima hoc fine.*

Topica tria sicca laudantur, pimpinella recens, crystallus & mercurius vitius. Pimpinellæ odor penetrans est, & aperitus, vt conferre aliquid possit manifestis effluviis, vti & viuo indita illud statim alterat. De crystallo vulgaris est opinio, quod dorso applicata lac imminuat, anterius vero adaugeat, cuius rei ratio non facile patet, nisi dicamus illud fieri frigore & frictione mediante, (nam de loco Practici consentiunt,) hoc frictione & accubitu, siquidem facile in rarioribus corporibus, vt sunt mammæ, apposita poros gestatione sua dilatant, vt suadent quoque facile. Crystallus vero inprimis id fecerit, quia alienæ qualitatis omnis est expers. Admitti & suaderi igitur hæc vt indemnia possunt.

De mercurio viuo res certa est, illum mammis externe adhibitum affluxum citare maiorem, & lac restituere. Notandum hanc in rem (1.) quod potenter serum fundat, exemplo salivationis; quod (2.) effluviis volatilibus calore rarefactus poros facillime afficiat, gaudens maxima vi elastica, quod ad oculum patet, si ad thermometri formam aptetur, vel vase etiam ligneo aperto. Calore dilatantur eius pori manifesto, vt excurrat, & turget, frigore constringuntur, vt interiora petat, & in se subsideat, ad instar omnium humidorum, quod mirandum est. (3.) Conuenit tamen, vt omnia hæc, magis præsente impellente intrinseco, & cœteris paribus.

Patet ex his, quod lac generans medicis sumatur tam pro eo,

Ggg 2

quod

quod materiam ad lactis generationem subministrat, quam quod generatam iam lactis materiam ad mammas dedit, quorum prius quasi materiei, posterius vehiculi magis rationem habet. Priori intentioni prima classis posteriori duas sequentes velificantur, quatenus nempe illa lacte materiam suggestur, hæc eandem ad mammas deducunt, & promouent, ut inibi lactis formam nascatur, moderata nempe incidendi, attenuandi fluxile, aperiendique poros facultate, quo sanguis chylosus reddatur subtilior, meatus dilatet, ac per illos humorem chylosum ad mamma transferat.

Vitus lac augmentum est determinatus ad nutrices, seu lactantes, quæ alias sanæ penuria lactis laborant, ad suggestum sustentationem, præcipue si infans fortius fugat. Nisi enim sufficiens quantitas suppetat, nutritre non potest, vnde tormina, inquietudo, clamores. Plurimi sane infantes moriuntur lactis culpa, vnde faciunt hæc ipsa etiam ad lac depurandum quasi, vnde consulto assumuntur frequenter ab iisdem semina carminatiua, anis, fœnicarui, dupliciti hoc nomine, vt & flatu abarceant torminificos, & lactis prouentum faciliter, optimo sane consilio & effectu. Addi & tertium potest, quod subtilisetur hoc pæsto lac paulo spissius & oleosius, facile daturum epilepsiam; quod corrigatur lac nimis aquosum, diarrhoeas citans. Optime se eadem gerunt, vt lac in prima culina probe concoquatur, nec cruditates generet.

Vtriusque vero hæc generis lac augmentia ut plurimum coniungenda sunt, vel coniuncta saltim efficacius se gerunt. Et suetu ipso videmus toto die continuari illum appalsum, vt ad 2. 3. annos s̄pē continuo ordine lac suppetat nutribus.

Contraria his sunt LAC MINVENTIA quæ tamen duo dicunt vel complectuntur, in eundem effectum conspirantia, quæ nempe & minuunt, & minuendo resoluunt, vt e dicendis patebit.

Cum ergo intentio sit lac collectum iam & factum emittere, futurum vero arcere, hinc posset quidem & tenuior vietus suaderi, id vero cum fieri non æque liceat, nam ali debet corpus, a natura s̄pē huc magis intenta vt lac adsit pro foetu, quam vt superfluum in corpore alimentum sit; nec concedatur æque a delicatis, vix ferre, nisi secundario id præcipi solet. Hinc, præter purgantia, & alia,

I. LAC

1. *Lac imminuunt emollientia.* Non obstat, contrarium videri, posse eadem & lac augere & imminuere; variat enim id pro diverso statu. Emollientia poros lac augent, non praesens & collectum aquae: emollientia lac imminuunt praesens & stagnans. Quam in rem nota: (1.) omne lac suetu non prolectum stagnat in mammis, (2.) stagnans grauat, & in coagulum abiit promptum est. Ergo (3.) omnino dimitendum est. Hinc aliquandiu etiam emulgeri potest & debet, ut sensim depleatur, nec negotium facessat. Vix ergo proximae sunt dilatandæ, remotæ constringendæ. Dilatant vero emollientia, calida & humida temperata, mammis ipsis applicata. Emollio hæc prohibet stagnationem, prohibet coagulationem. Optimum hoc sine praesidio est empl. diachylon simpl. frequentissime a nobis usurpatum cum succu. Constat id ex mucilaginibus, & emolliendo vnicce prodest.

Vnum hoc instar omnium est, cataplasmatibus aliisque omnibus contra proficuum. Ut vero natura ipsa copiam lactis effusione e papillis spontanea toto die deplet, ne onerosa fiat; ita suetu omnino ordinario cessante per hanc viam commodissime depletio lactis restagnantis, laxatis poris, instituitur; quem in finem emplastra illa rotunda quidem esse debent, ut complectantur spharam mammæ, in medio vero perforata, ut ne effluxus impediatur, maxime expeditus. Natura ab uno extremitate ad alterum nunquam sine medio, sibi relicta & citra noxam, progreditur. Cessante ergo suetu, impellente extrinseco, non simul & semel deficere hunc fontem potest, unde effundendum reliquum, ipsaque adituanda.

2. *Lac imminuunt resoluentia.* Utroque casu optima sunt hæc ipsa, tum initio statim, tum in progressu, tumore & duritie iam praesente. Resoluunt in genere, i. e. caseationem, grumescentiam & coagulum, turgescentiam ac quietem consequens tollunt sudorificem. Resoluunt diuertendo laticem ad extimam vestem, serumque dissipando, vna vero *σίων* omnem expedientia, ne febris ac inflammatio, ne dolor inde consequatur, data hanc in rem Rabez, camphorata, M. S. aliisque paulo volatilioribus. Puerperis & abl. Etantibus sudorifera optima sunt praesidia, & velut vniuersalia.

Resoluunt salina, amara, saxe & sulphure actiua facta, ut cerefolium,

lium, petroselinum, alsihe, crocus, sal, salvia, & quæ alias semen imminuunt, in primis enim hæc ipsæ oleosum characterem ferodemunt, ut attenuatum hinc diffusat magis. Actuali suo frigore aliquo modo repellunt, saline principio actiuo calefacta resolvunt, & dissipant, vel sola exhalatione suâ cum glandulis extimoribus communicata. Pertinet hoc etiam herba medica, quam lac extinguere dudum *Aristoteles* asseruit, ad mouenda mammis, facillimo & iuvenato remedio.

Resoluunt frictiones, quæ grumositatem impediunt, qua facta glandulæ, alias conglomeratae putatae, ipsæ conglobatas emulnantur duritie & magnitudine. In primis vero sperma ceti inter resoluentia pectoralia, traumatica, nephritica alias laudatisimum, seu cum empl. diachyl., addito gummi ammoniac o cum acet. sol. & camph. parum misceatur; seu sparadrapum Mysl. de sperm. ceti apponatur mature.

Resoluunt, experimento *Helmontiano*, magnetice quasi prunæ, si in eas vel laterem candentem lac emulgeant. Sine dubio hoc sit ab auersatione archei, quatenus incutitur eidem velut horror, vt, dum alii fini impenditur idem, hinc amplius renuat profundere hunc utilem succum, vt taceam ipsum hunc actum expressionis per se quoque conferre. Resoluunt quoque acida, praesente scilicet coagulo vel quasi tali, & cum aliis mitigata sulphureis, vt sotus apud *Morellum* laudatus, modo prouide id fiat.

3. Lac imminuunt repellentia, quæ, vi vocis vfitatæ, illapsum & aduentum in poros glandulosos prohibent, vias & aditum præcludunt, ne turgeant tam & dilatentur, quam constringantur pori. Repellunt actu dicta frigida vegetabilia, repellunt, non & que tamen tuta, oleosa, terrea, aquæa. Repellunt acida, austera & quasi talia. Repellunt angustantia thoracem, omnia tamen cum moderatione.

Conueniunt nempe lac imminuentia indicatione præseruativa magis, quam curatoria, imo illa ipsa fere potior est; tum absolute, si lac ne quidem generari debeat, sed auerti, tum secundum quid, quando generatum subsistere debet, nec stillare & fundi amplius. Una vero eademque est curatio. Suasimus illo casu emplastra comendata bina, emolliens & repellens. In iunioribus vero

ob

ob cosmeticæ, falso licet persuasæ, studium maius, quasi emplastris forma decens pereat, notaui mus illud non facile admitti, ubi noduli saltim suaderi gaudent.

Cautio ergo opus est in primis 1. ne mamma patiantur inflammationem. Inflammatio sequitur subsistentiam; quæcunque ergo inflammationem, subsistentiam & transpirationem difficulter causantur, omnia absint. Absint pingua, oleosa, vnguinosa; illa enim inflammationem vel causantur, vel augent, non aliter ac in erysipelate quovis idem sit. Hinc licet videantur dolorem lenire, magis tamen eundem promouent hoc loco, longe humidiori & delicato, glandoso ac spongioso. Absint spirituosa, quæ alias, si locus id permittat, optime prosunt, etiam in gangræna, exemplo Vi camphor. Laborabat puerpera dolore & inflammatione mammarum incipiente, obstetrix, ut solent primam quasi instantiam sustinere, mammis applicat Vi: Inde vero febris inducebatur manifesto motu, sudoriferis abacta. Absint aquæ & humida quævis, seu sola, seu cum terreis mixta, sola scilicet & frigida, aquæ enim calcis viæ leni sua alcalina natura discutere apta nata est, modo itidem cum cautela id fiat.

2. Cauendum, ne mamma patiantur suppurationem. Nullibi in inflammationum accessu tam conueniant discutientia, quam in mammis; nulibi magis nocent repellentia, quam in mammis, ob copiam nempe maximam humorum, qui istic globis insident, tanquam spongeæ imbibiti, ob infinitos poros, qui facile obstrui possunt, præsente pœpætio nō possum. Si qua repellentia conueniunt, prosunt terrea, sicca, ex iis, quæ alias in erysipelate prosunt, & mitiora, vegetabilia cum resoluentibus mixta; prosunt acidula, dicto modo adhibenda.

3. Repellentia origini, quam insertioni viarum certius & tutius applicantur. Originem intellige viarum; viæ vero, per quas humores adpellunt, sunt duplices, communes pori, propriæ vasæ, quod nullibi magis quam in mammis patet. Vbi ergo id licet, inconveniens est repellere in loco insertionis, seu influxus. Repellere enim est, non admittere influxum, arcere humorum, defendere poros & partes recipientes. Turpius & hoc loco eiicitur, quam non admittitur hostis. Valet id in aliis quoque, vbi repellentia sub defen-

defensinorum nomine locum habent, in fracturis, gangrena & sphacelo, ac similibus. Tunc nempe ipsi affectæ parti traumatica, sanx defensiua applicamus, illaque remotæ, quæ sustinet tanquam origo & via propior influxum. Si itaque hanc rationem attendamus penitus, facile patet, repellentia hoc casu non mammis, sed dorso applicanda esse. Sine dubio viæ istæ, seu notæ, seu ignotæ quibusdam singantur adhuc, per quas ad mammas ducitur lac, ab inferioribus respectiue tendunt, ex quibus tanquam centro ad circumferentiam sphæræ mammillaris prodeunt. Hunc in finem non solum crystallus ibi appendi potest, sed & exempl. de sperm. ranar. alb. coct. seu seorsim, seu coniunctim optimo consilio dorso imponuntur, idque immediate citra obductionem sindonis rubræ.

5. Ex duobus malis minu, & naturæ proprius magisque conueniens eligendum. Valeat id in genere de omni inflammationum genere, tum speciatim de mammis. Seu quandocunque eo vsque progressa est inflammatio, vt ob copiam & ~~stān~~ maiorem discuti non possit, naturæ ipsius nutu & ductu, optimum est suppurationem iuvare. Nam & serum oleosius in pus abit, imo nullum pus fit sine sero, vt facillime sanguine & sero magis vnitis, difficilius separatis. Hinc tumores glandulorum respectiue difficilius suppurationem subeunt, quia minus de sanguine participant. Hinc serum minus oleosum, vt in arthriticis, non suppuratur, sed ad absurdâ chirurgica id pertinet. Hinc vulnera facilius pus concipiunt. Hinc rebelles sunt cancroſi & cacoethici tumores.

Adiuuanda hinc suppuratione tum emplastris emollientibus, tum ipsis vnguinoſis & resoluentibus, ne nempe augeant inflammationem, quam adiutum eunt. Et mirandum est, sibi relicta natura, hoc modo tamen adiuta, quomodo tam cito vlcera hæc, a suppuratione mundata, consolidentur, cessante scilicet afflu- xu, & continente solum materia in pus promota. Contra ea induratio omnis in mammis est periculosa & suspecta, etiamsi diu duret. Est vero & tunc naturæ conuenientius tolerare quietum, vel in centro detinere morbum, quam suppurantibus irritare.